sinere mala fieri. Et utique volens sinit, non nolens mala. Sed volens sinere
ut ipsa fiant, quia neque mala sunt bona, nec ea fieri vel esse bonum est.
Quod vero Augustinus ait mala fieri bonum esse. Quomodo sit intelligendum illud Au-
nec sinerentur mala ab gustini: Mala fieri bonum est
omnipotente bono fieri. Non hoc esset bonum ut ea essent. Ea ratione dictum
esse asserit, quia ex malis que fiunt deus bona elicit; nec ipse permit-
teret ea fieri, nisi de eis bonum aliquid faceret. Unde Augustinus in libro enchiri-
Augustinus — aperte indicans predictorum verborum talem esse intelligentiam ait: Deus omnipotens
cum rerum sit summa potestas, cum summe bonus sit, nullo modo sineret aliquid
mali esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus ut bene fa-
ceret etiam de malo. Item in eodem. Melius iudicavit deus de malis bona
facere quam mala nulla permittere. Ex hoc itaque sensu dictum est ac ve-
rum est bonum esse mala fieri, quia ex malis que fiunt bonis qui secundum propositum
vocati sunt sancti accedit bonitas vel utilitas. Talibus enim ut ait apostolus
in bonum cooperantur omnia etiam mala, quia eis prosunt, que aliis facientibus
obsunt. Unde et aliquando in scriptura legitur malum appellari bonum. Unde
Ier. bonum fuit n. non essendi vel essentie sed occasione — Ieronimus super Matheum: Malum inquit unde bonum fuit sed nobis; nec sibi bonum
est nulli vel illi inde sequitur, quod simpliciter bonum sit. Proprie enim ac simpliciter
bonum est quod in se et facienti bonum est. Quadripartita boni acceptio
Est enim aliquid quod in se bonum est et cui fit, sed non est bonum facienti, ut
cum subvenitur pauperi sed non propter deum. Et aliquid bonum in se et facienti,
sed non ei cui fit, ut cum veritas propter deum alicui non obedienti predicatur.
Et aliquid in se et facienti et cui fit bonum, ut cum veritas propter se predi-
catur credenti. Unde apostolus [et ad corinthios ii]: bonus odor sumus deo; aliis odor vite, aliis o-
dor mortis. Est autem aliud quod nec in se bonum est et facientem dap-
nat nisi peniteat, ut malum, valet tamen ad aliquid, ut ait Augustinus in enchiridion. [c. vi]
Augustinus in enchiridion — A summe et equaliter et immutabiliter bona trinitate creata sunt omnia; nec sum-
me nec equaliter nec immutabiliter bona; sed tamen bona etiam singula; simul vero
universa valde bona, quia ex omnibus consistit universitatis admirabilis
pulchritudo, in qua illud etiam quod malum dicitur bene ordinatum et loco suo positum

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

© Biblioteca Apostolica Vaticana

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_336/0209

MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG